

que nemini liceat auferre, alienare &c.

Sub privationis a dignitate, & excommunicationis pena.

pp. subscriptio.

Dat. die 14. Martii anno Domini 1116. Pontif. Paschalis anno XVII.

videlicet Ecclesia sancta Mariae, & sancti Lazari de Avalone, & castrum Toilonum cum eorum pertinentiis: vel in futurum per Dei gratiam recuperari vel adquiri iuste legitimeque contigerit, quia semper & integra in eisdem Ecclesia jure ac possessione permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur, tam tuis, quam clericorum & pauperum usibus profutura. Si qua in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, remque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sangwine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena sit, atque in extremo examine districti ultionis subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiae iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

EGO PASCHALIS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Datum Laterani, per manum Johannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii, II. Idus Martii, Indictione IX. Incarnationis Dominicae anno MCXVI. Pontificatus autem Domni Paschalis Secundi Papae anno XVII.

LVI.

Declaratio Maternitatis Ecclesiae S. Stephani Bisuntini. cum Decreto, ut ibi universa Episcopalis ministerii officia peragantur.

Inter Probatione Historiae Monasterii Treverensis Bisuntini.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus & filiis, Suffraganeis, clero, & populo Bisuntinae Ecclesiae, salutem & apostolicam benedictionem.

Inter sancti Stephani, & sancti Johannis Canonicos, de Cathedra episcopali, quam diuturna concertatio fuerit, plenius vos audisse, ac certius scire credimus. Canonici siquidem Beati Stephani, Romanorum se Pontificum privilegii, seu Regum scriptis, tuebantur, afferentes, pro Ecclesiae suae destructione Episcopos illic discessisse. Unde contigerit, ut apud sancti Johannis Ecclesiam Episcopalis Ministerii Sacramenta celebrarentur. Contra, Beati Johannis Canonici annis plurimis praeter quaestionem, aliquam penes se Cathedram Episcopalem mansisse, & Ecclesiam suam matricem esse clamabant. Ad hac Beati Stephani Fratres allegabant, frequenter super hoc praedecessores suos vel apud Apostolicae Sedis Vicarium, vel apud Bisuntinos Episcopos reclamasse. Post longa igitur disputationis certamina, communi fratrum nostrorum Episcoporum, qui tunc synodali vocatione convenerant, seu Cardinalium iudicio, deliberatum est, ut si Beati Stephani Canonici idoneis testibus probare possent, quod post redintegrationem Ecclesiae suae, infra annos triginta super querela

Pars utraque citata ad proferenda monumenta.

hac quaestionem fecerint, per quam illorum videretur interrupta praesentio, videlicet vel ante Antistitem suum, vel ante Legatum nostrum, in communi audientia, ac probatione peracta, privilegia eorum robur perpetuum obtinerent, & Episcopalis Sedes in posterum apud Beati Stephani Ecclesiam haberetur; alioquin Canonici Beati Johannis ab hac querela liberi manerent, & Episcopalem Sedem, sicut tenuerunt, tenerent. Quatuor igitur ejusdem Ecclesiae clerici, videlicet Petrus & Hugo Presbyteri Cardinales, Bonifilius Succentor, & Guarinus Presbyter, & Alfricus Archipresbyter de sancto Gorgonio, producti coram clericis sancti Johannis ad testimonium asserendum, & mox Episcopali examinandi iudicio, & idonei inventi, hujusmodi testimonium in conspectu nostro, tactis sacrosanctis Evangelii, praebuerunt. (Vidi, & audivi, quod Hugo Decanus sancti Stephani, & Hugo de Palma, & Ebrardus, Canonici sancti Stephani, adversus Canonicos sancti Johannis, Mainerium Decanum, Bernardum Magistrum, & Stephanum Cantorem, quaestionem fecerunt de Sede Episcopali ante Hugonem tertium, Bisuntinum Archiepiscopum, fratrem Guidonis Viennensis Archiepiscopi, in claustrum sancti Johannis, infra triginta annos post redintegrationem Ecclesiae sancti Stephani). Hanc demum redintegrationem suscepta, communi fratrum nostrorum Episcoporum, qui tunc plurimum synodali vocatione convenerant, & Cardinalium iudicio, privilegia Beati Stephani robur perpetuum obtinere decrevimus: & Episcopalem primam Sedem in posterum apud eandem Beati Stephani Ecclesiam permanere, & universa Episcopalis ministerii officia, quae apud matricem solent Ecclesiis fieri, ibidem celebranda sancimus; & quae sane scripta praeteritis temporibus ante hujus discussionis certitudinem, aut a nobis elicita, aut a vicariis nostris minus providenter excussa sunt, nullum deinceps momentum, nullas vires obtinere censuimus. Hec autem, sicut apud nos praesentis iudicio deliberata, & decreti praesentis literis confirmata sunt, ita in perpetuum integra & illibata servari, apostolica auctoritate praecipimus. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito, temere (quod absit) contraire tentaverit, honoris & officii sui periculum patietur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Probationes ex parte Canonorum sancti Stephani.

Dignitas matricis Ecclesiae S. Stephani ad iudicanda.

Irregularitas quorundamque in contrarium facientium.

Solita clausula.

Paschalis PP.

Et S. R. E. cum subscriptionibus Archiepiscopi & Episcoporum, qui hunc Synodo Lateranensi interfuerunt.

- EGO PASCHALIS Catholicae Ecclesiae Episcopus, hoc iudicium ratum habens, scilicet. Ego Crescentius Sabiniensis Episcopus subscripsi. Ego Petrus Portuensis Episcopus subscripsi. Ego Cono Praenestinus Episcopus subscripsi. Ego Anastasius Cardinalis Presbyter tituli Beati Clementis interfui & subscripsi. Ego Dinizo Cardinalis tituli Equitii subscripsi. Ego Boso tituli sanctae Anastasiae Presbyter subscripsi. Ego Vafatensis Episcopus Beltrannus subscripsi. Ego Annaldus Burdegalensis Archiepiscopus subscripsi. Ego Portugallensis Episcopus Hugo subscripsi. Ego Johannes Briocensis Episcopus subscripsi. Ego Baldricus Dolensis Archiepiscopus subscripsi. Ego Leo Diaconus Cardinalis Ecclesiae sancti Viti subscripsi. Ego Romoaldus Diaconus Cardinalis sanctae Mariae subscripsi.

Ego

Ego Aldo Diaconus Cardinalis venerabilis Diaconi Sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi. Ego Petrus Diaconus Cardinalis Ecclesiae sanctorum Cosmae & Damiani subscripsi. Ego Johannes Diaconus Cardinalis sanctae Lucia subscripsi. Datum Laterani, per manum Johannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, nono Kalendas Aprilis, Indictione IX, Incarnationis Dominicae anno MCXVI. Pontificatus autem Domni Paschalis II. Papae anno XVII.

Dat. die 24. Martii anno Domini 1116. Pontif. anno XVII.

LVII.

Monasterium S. Archangeli ad Morfiam in civitate Neapoli sub Apostolicae Sedis protectione & tutela suscipitur.

Edidit Ughel. Ital. fac. Tom. IX.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Gregorio Abbati Monasterii S. Archangeli, quod ad Morfia dicitur, intra Civitatem Neapolitanam, ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Exordium.

Monasterium sub Sede Apostolica suscipitur.

Bonaque omnia confirmantur.


Addito immunitatis decreto a quacumque perturbatione.

PIE postulatio voluntatis effectu debet prosequenti compleri: quatinus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur dilectio tua, ad Sedis Apostolicae portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita perquisivit, nos per interventum venerabilis fratris nostri Gregorii Neapolitani Antistitis, supplicationi tuae clementer annuimus, & B. Archangeli Monasterium, cui Deo auctore praesides, sub tutelam Apostolicae Sedis excipimus. Per praesentis igitur privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quaecumque praedia, quaecumque possessiones idem Coenobium in praesenti IX. Indictione legitime possidet, quaecumque in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, vel aliis iustis modis poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eidem Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel iuste datas suis usibus vindicare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis prefutura, & salva Neapolitani Antistitis canonica reverentia; cui tamen Monasterium ipsum gravare omnino non liceat, nec exactiones inferre, aut consuetudines aliquas, quae Fratrum quieti noceant, irrogare. Si quis igitur in futurum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Dux, aut Princeps, Magister militum, Comes, Vicecomes, Judex, Castaldus, aut ecclesiastica quolibet secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, remque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sangwine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districti ultionis subiaceat. Cunctis autem eidem Monasterio iusta servantibus sit pax D. N. J. C., quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Iudicem, praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

GELASIUS SECUNDUS

PAPA CLXI.

ANNO AERE CHRISTI COM. MCXVIII.



Gelasius Secundus, natione Campanus, ex Patre Crescentio, antea dictus Joannes Cajetanus, primum Monachus Cassinensis, mox S. R. E. Diaconus Cardinalis Tit. S. Mariae in Cosmedin, electus in Romanum Pontificem die 25. Januarii 1118. consecratus die 10. Martii ejusdem anni. Sedit in Pontificatu annum i. dies iv. (a) imperantibus, in Oriente Alexio Commeno, & Calo Joanne, patri Alexio

(a) Ab electionis die computandos, ut cum Catalis, ac Chronicis consentiamus. Si vero tempus Pontificatus Gelasiani a consecrationis die, prout nos, & inceptus a nobis ordo existit, statueret velimus, Petro Pignatelli, qui hujus Pontificis epigraphum elaboravit, assensendum est, qui illum vita sanctum asserit, cum Pontificatus vix ageret primum Pastor venerabilis annum.

xio successore: in Occidente vero Henrico IV. Imperatoribus; Obiit Cluniaci die 29. Januarii sequentis anni. Corpus ejus honorabiliter intra limen Cluniacensis Cœnobii requiescit in pace. Vacavit Sedes dies iv. (a)

Schisma vigesimum quintum in Ecclesia.

Henricus Imperator, statim die post electionem Gelasii PP. quadragesimo quarto (b) Mauricium Bracarensem Episcopum, qui Burdinus vulgò dicitur, anno præterito a Pascali II. in Concilio Beneventi excommunicatum, in matris Ecclesie gremium ingressi: ab eoque in præmium Schismatis Imperator iterum consecratus est postridie Kalendas Junii. Mauricius Gregorii nomen accepit in Pseudopontificatu: iterato anathemate percussus est, primò ab eodem Gelasio in Synodo Capuana, mox a Callisto II. Successore in Remensi, a quo pariter anno 1126. Sutrii captus, Romamque per ductus, ad Monasterium Sanctæ Trinitatis, quod Cava dicitur, delegatus est (c). Inde duos post annos extractus in Janula, quæ arx est in rupe imminente Civitatis Sancti Germani, custodiae mancipatus est. Hinc eum deduxit Honorius II. anno 1124. ut in arcem Fulmonis duceretur, ubi mortuus.

I.

Oldegario Barchionensi Episcopo, ad Terraconensem Ecclesiam translato, Archiepiscopatus, & jus metropoliticum confirmatur, Palliumque conceditur.

Ex Archiv. Regali Barchinonensi a Rebullofa editum transcriptum Bullandus ad Sanctorum mensi Martii die 3. vite S. Oldegarii.

Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Oldegario Barchionensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Terraconensis civitatis Ecclesia insignem olim fuisse Metropolim, & scripturatum veterum, & divisionum provincialium monumenta declarant: ad cujus profecto restitutionem prædecessores nostri plurimum laborasse noscuntur; unde etiam temporibus nostris Berengario Aulonensi Episcopo a prædecessore nostro sanctæ memoriæ Urbano Papa pallium datum fuit. Et nos ergo ad ejusdem civitatis restaurationem penitus intendentes, te, carissime Frater Oldegario, Barchionen. Episcopum, ipsius Ecclesie Antistitem constituimus, & Pallium ipsum tibi ex Apostolicæ Sedis liberalitate concedimus; ea nimirum provisione, & ea fiducia, ut pro data

Exordium a Terraconensis Ecclesie dignitate desumptum.

Oldegario Barchionensis Ecclesia confirmatur.

(a) inclis extremis. (b) Sic faceret Gelasius in Epistola ad Ecclesiam Gallicanam, quam refert Baronius hoc anno 1118. (c) Falcone Beneventano teste.

tibi a Domino facultate, civitatem ipsam & Ecclesiam studeas omnimodò ad Domini Dei nostri honorem & gloriam restaurare. Sane Dertofam, si divina clementia populo Christiano reddiderit, in suburbanam parochiam metropoli Terraconensi concedimus, donec, præstante Deo, Terraconensis Ecclesia robor status sui recipiat; mox Dertosa ipsa proprium pastorem obtineat. Porro Terraconensem civitatem cum terminis suis, sicut ab illustri Barchionensium Comite Raymundo, per manus tuas Terraconensi Ecclesie tradita, & scripti sui libertate firmata est, presentis decreti pagina tibi tuisque successoribus, ejusdem Sedis Metropolitanis, in perpetuum confirmamus. Tibi ergo, tuisque legitimis successoribus in eadem Cathedra constituendis, & per te Terraconensi Ecclesie restituamus ipsam Terraconensem provinciam: ut in ea debeatis deinceps & suffraganeos Episcopos ordinare, & Concilia secundum formam Canonice celebrare, & omnia juxta Metropolitanam curiam largiente Domino providere; salvâ in omnibus Apostolica Sedis auctoritate ac reverentiâ.

Pallii verò usum Fraternitas tua infra Ecclesiam tantum ad sacra Missarum solemnia se noverit obtinere, his videlicet diebus, Nativitate Domini, Circumcisione, Epiphania, Cœna Domini, Sabbato sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, in sollempnitatibus Beate Dei genitricis Virginis Mariæ, in Natalitiis B. Joannis Baptistæ atque Apostolorum omnium, in festivitate B. Theclæ & B. Fructuosi Martyris, in consecrationibus Ecclesiarum & Episcoporum, seu ordinationibus Clericorum, & Anniversarij tui die, cujus nimirum Pallii, volumus, te per omnia genium vindicare: hujus siquidem indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota ergo mente Fraternitas tua se exhibere festinet in proximis humilem: in adversis, si quando eveniant, cum justitia erectum: nullius unquam faciem contra veritatem suscipiens: nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens: infirmis compatiens: benevolentibus congaudens, aliena damna tua deputans: vitiiis pie faviens: in fovendis virtutibus animas auditorum demulcens: in ira judicium sine ira tenens: in tranquillitate severitatis justa censuram non deserens. Hæc est, Frater carissime, Pallii accepti dignitas: quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderit, intus habebis. Sancta Trinitas Fraternitatem tuam per tempora longa conservet incolumem.

EGO GELASIVS Ecclesie Catholice Episcopus.

Signum manus mee.

DEUS IN LOCO SANCTO SUO.

Ego Crescentius Sabinensis Episcopus &c. (a) Cajeta per manum Chryzogni S. R. E. Cardinalis, XII. Kal. Aprilis. Indictione XI. anno Dominicæ Incarnationis MCXVIII. Pontificatus autem Domni Gelasii Papæ II. anno I.

(a) Addendi sunt: Senes Archiepiscopus Capuanus. Lamberius H. siensis Episcopus. Petrus Portuensis Episcopus. Hugo Cardinalis Presbyter Tit. SS. Duodecim Apostolorum. Petrus Cardinalis Presbyter Tit. Sancta Susanna: a Rebullofa, nescio, an a Bollando, omisso. Bollandus quidem restituit in notis ad caput tertium vite S. Oldegarii. Rebullofam non vidi.

Adjuncta Diocesi Dertofana, donec proprium habendi Episcopum exeat efficiatur.

Fortasse, liberalitate.

Jus metropoliticum conceditur.

Pallium.

Pallii usus.

Et significatio.

Adhortatio ad Oldegarium.

Gelasii PP. subscriptio.

Dat. die 27. Martii anno Domini 1118. Pontif. anno 1.

II.

Bona omnia, ad Cluniacense Monasterium spectantia, pacifice semper & quiete sub jure ejusdem Monasterii fore, declaratur.

Ex Chartario Cluniac. edit. Mart. Marier. Bib. Cluniac. col. 572.

Exordium.

Confirmatur bona omnia ad Cluniacense Monasterium spectantia.

Quæ ab omni perturbatio libera declarantur.

Gelasii PP. subscriptio.

Et Sigillum.

Dat. die 12. Aprilis anno Domini 1118.

Ex Commentariis Cosentini. Casiani ad vitam Gelasii PP. per Pandulphum Pisanum Roman. Script. Tom. 111. pag. 390.

Exordium.

Facultas ducendi aquam ex fluvio Caloris.

Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, clarissimo fratri Pontio Cluniacensi Abbati salutem & Apostolicam benedictionem.

Cluniacensis Monasterii prudens religio, & religiosa prudentia, & ante nostra, & nostris temporibus, Romanam Ecclesiam maxime sibi fecit obnoxiam. Sed præter illud commune dilectionis debitum, persone tue sinceritas mihi semper amabilis, semper optabilis, charitatis nostræ viscera plenis, ut nosti, finibus ampliavit. Idcirco petitionibus tuis, illis præcipue, quæ ad Monasterii nostri quietem & salutem spectant, nequaquam duximus obviam. Per presentis igitur decreti paginam, secundum postulationem fraternitatis tuæ, præcipimus, atque statuimus, ut quicquid possessionis, ad Cluniacense Monasterium pertinentis, reverendissimæ memorie prædecessor tuus Hugo in die mortis suæ per authenticam Romanorum Pontificum concessionem, quiete ac sine calumnia possidebat, tu quoque, tuique Successores, quiete ac sine calumnia possideatis. Ea etiam, quæ post tuam provisionem Cluniacensi Monasterio, vel per tram, vel per fratrum tuorum industriam legitime acquisita sunt, firma, quieta, & integra conservanda censemus. Volumus enim Cluniacense Monasterium, auctore Deo, in quiete perpetua, & tranquillitate persistere: ut a secularibus tumultibus liberi, omnipotentis Dei servitium vacare quietius valeatis. EGO GELASIVS Catholice Ecclesie Episcopus.

Signum manus mee.

DEUS IN LOCO SANCTO SUO.

Datum Capuæ II. Idus Aprilis, per manum Chryzogni S. R. E. Diaconi Cardinalis, anno Dominicæ Incarn. MCXVIII. Indict. XI. Pontificatus autem Domni Gelasii Secundi Papæ anno I.

III.

Privilegium pro Monasterio Sanctæ Sophiæ Capuan. Diocesis.

Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Bernardo Abbati Monasterii S. Sophiæ, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Religiosa loca temporibus nostris propter peccata communia multis videmus angustiis, & tribulationibus angustiari. Ea propter opportunum duximus, eorumdem locorum necessitatibus, secundum datam divinitus facultatem, Apostolicæ Sedis gratia benignius subvenire. Tuis ergo, dilecte in Christo fili, Abbas Bernarde, petitionibus annuentes, concedimus, ut deinceps tibi tuisque Successoribus liceat, de fluvio Caloris aquam, perceptum bene-

ficiam vestram accipere, & pro duobus molendinis, vel aliis Monasterii utilitatibus per terram vestram usque in eundem fluvium Caloris deducere. Si autem oportuerit, licentiam habeatis accipiendi eandem aquam supra, vel infra prædiis, tum edificium, quantum videlicet terra vestra, & aqua est. Quod si necessitate urgente, pro eodem aqueductu de terra via inferioris, quæ juxta est, acceperis, tantandem de terra ex parte altera restaurentis. Sane concambium, quod in loco ipso de interjacenti terræ fecistis, ratum habemus.

EGO GELASIVS Ecclesie Catholice Episcopus. Gelasii PP.

Signum manus mee.

DEUS IN LOCO SANCTO SUO.

Ego Petrus Portuensis Episcopus consensit, & is.

Ego Ugo Cardinalis Presbyter Tituli Apostolorum consensit, & is.

Ego Petrus Cardinalis Presb. Tituli S. Susannæ sc.

Datum Capuæ per manus Chryzogni sanctæ Romane Ecclesie Diaconi Cardinalis, XIV. Kal. Maii Indictione XI. anno Dominicæ Incarnationis MCXVIII. Pontificatus autem Domni Gelasii II. Papæ anno I.

Et confirmatio Concambii.

Et S. R. E. Car. l. subscriptiones.

Dat. die 18. Aprilis anno Domini 1118. Pontif. anno 1.

IV.

Gualterii Ravennatis Archiepiscopi electionem, post schisma ejuratum a Ravennatibus, confirmat, eique Pallium cum aliis juribus concedit.

Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri Gualtero Ravennatium Archiepiscopo, salutem, & apostolicam benedictionem.

Ex Concil. Tom. xiii. col. 1242.

Unitati divine Trinitatis gratiæ agende sunt, quæ per suæ Caritatis Spiritum, divisa conjungit, & multos in se animos unum facit. Ecclesia siquidem Ravennatum per multa jam tempora ab Apostolicæ Sedis unitate discissa, multas eidem Sedi Apostolicæ persecutiones intulit, & Ecclesie multis perversi schismatis fomitem ministravit. Qua propter ad ejus nequitiam deprimendam, subiectarum ei Ecclesiarum quædam sibi Apostolica Sedes assumpsit, ut vel sic eam ad humilitatis, & unitatis tram item revocaret. Sed cum tandem Ravennatum Ecclesiam misericordie suæ gratiâ ad unitatem, & obedientiam matris suæ Romane Ecclesie revocavit. Iniquitatem namque suam illius filii recognoscentes, delicta patrum corrigere probaverunt: ut qui præteritis temporibus per tyrannidem regiam præfules, regibus placentes, accipiebant: nunc demum secundum Canonicas Sanctiones Episcopum Deo, placentem, eligerent; & schismate abdicato in Catholice Congregationis gremium redirent. Te siquidem, reverendissime frater Gualtere, a disciplina fratrum regularium violenter assumptum, pro religionis ac sapientiæ prerogativa in beati Apollinaris cathedra communi voto ac desiderio posuerunt, & in Apostolicæ Sedis obedientiam unanimiter redierunt. Unde nos, divina Trinitatis unitati gratias agentes,

Exordium, ab ejurato schismate desumptum.